



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

qua per dilectionem operatur Gal. 5., inhabi-
tabunt quoque Sion Cælestem : etiam illi ex
posteritate fidelium permanenter habitabunt in
Ecclesia, & pervenient ad Cælestem Sion, qui
diligunt nomen ejus.

PSALMUS LXIX.

Titulus : *In finem Psalmus David, in reme-
morationem, quòd salvum fecerit eum Do-
minus : Hebræus solùm legit : In finem Psalmus
David, in rememorationem ; cetera addiderunt
Septuaginta, explicandi gratiâ.*

Argumentum est oratio Christi in cruce pro
salute suâ, seu celeri resurrectione corporis sui,
& pro salute populi sui, qui est corpus ejus my-
sticum. Dicitur etiam Psalmus compositus in
rememorationem salutis acceptæ, quia David
spiritu prophetico prævidit, & orationem Christi
pro salute fundendam, & salutem sinè dubio
secuturam.

ψ. 1. *Deus in adjutorium meum intende :
Domine ad adjuvandum me festina.*

Hic ψ. in Ecclesiâ Catholicâ celeberrimus est:
indè enim incipiunt Officia divina omnium
Horarum. Et licèt præcipuè conveniat Christo
in cruce ; potest tamen usurpari ab omnibus
fidelibus in periculo versantibus : & cùm mag-
na semper immineant pericula, assidua hujus ψ.
frequentatio suadetur. Peti-

Petitur auxilium Dei magnum, & velox. *Deus in adjutorium &c.* incumbere diligenter in me juvando, ut gravitas mali requirit; incumbere etiam in me juvando velociter, & nullam interpositam moram, quia periculum imminet.

ψ. 2. *Confundantur, & reveantur, qui querunt animam meam.*

Per Christi Resurrectionem, & fidelium liberationem de potestate inimicorum, inimici videntes se frustra laborasse, confundantur, & erubescant: quod partim jam est factum, partim complebitur in novissimo die.

ψ. 3. *Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.*

Est repetitio ejusdem precatationis ad rem magis explicandam. ψ. est idem cum ψ. 20. Psal. 39. : ibi dicitur *convertantur*, hic, *avertantur*; sed sensus est idem.

ψ. 4. *Avertantur statim erubescences, qui dicunt mihi, euge, euge.*

Est idem ψ. cum ψ. 21. Pl. 39. ibi res eadem tertio repetitur, ut nempe hostes Christi, & Ecclesie cito confundantur, qui nunc exultant, dicentes inter se, *Euge, euge.*

ψ. 5. *Exultent, & latentur in te omnes, qui querunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

Vide ψ. 21. Pl. 39. Per modum precatationis præ-

prædicitur victoria, & exultatio Christi, & Ecclesiæ.

ψ. 6. *Ego verò egenus, & pauper sum, Deus adjuva me.*

Vide ψ. 23. Pl. 39. Redit Christus ad statum illum describendum, quem habuit in cruce, cùm verè pauper, & nudus Patri dicebat: Deus meus, ut quid dereliquisti me?

ψ. 7. *Adjutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.*

Vide ψ. ult. Pl. 39. Repetitur prima petitio celeris auxilii.

PSALMUS LXX.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus David, filiorum Jonadab, & priorum captivorum.*

Sciendum est, filios Israel (qua fuit prima eorum captivitas) ad verbum Dei, per Jeremiam predicatum, se cum Rege Joachim sponte Nabuchodonosori, Regi Babylonia, captivos tradidisse; quos inter credibile est fuisse filios Jonadab, homines ab obedientiâ celebres. Vide Jerem. 35. Num verò David ad hanc captivitatem respexerit, an interpres [qui etiam titulum suprâ scriptum addidit, nam Psalmus hic apud Hebræos titulo caret] aut ipsa Ecclesia V. T. Psalmum eò accommodaverit, quo modo Ecclesia Christiana accommodat Psalmos varios
ad